

**Florus Biblicus Seu Narrationes, Ex Veteri Testamento  
Selectæ**

**Pexenfelder, Michael**

**[S.I.], 1711**

V. Caini interitus.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64523](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-64523)

progrederetur, *Cainus* aggrediendi sceleris ansam invenisse ratus, elatum altius, quod manu gestabat, telum (obvium quodvis, & apportatum domo, ruris instrumentum, ferro præfixum crediderim) in martyris, ac fratriis (centesimum, vigesimum nonum tunc annum agentis) cerebrum, mox & in pectus, profundè valideque demittit, itaque geminatis iterum, iterumque plagis, & dispu-tantem simul, & vitam disputantis claudit. Ac corporis quidem cæsi sanguinem, largo fluentem rivo, & tacito clamore ultricia sidera ferientem, tellus excepit: innoxium autem *Abelis* spiritum, destinata longæ quieti piorum amplexa sedes est subterraneis in locis: ubi corpori plurima post secula reddendus, Christum præstolaretur Liberato-rem, ac cœlum Innocentiæ suæ præmium. Nobis verò hæc documenta virtus reliquit, permitti ma-los, ut coronentur boni; dotem pietatis esse res adversas, & proborum patrimonium, pati.

## NAR. V. CAINI INTERITUS.

Gen. 4. A. M. & Adami 688, ante Ch. 3365.

**G**ravissima sunt peccatorum pondera, gravissima criminum verbera: nemo immitius, quam suorum scelerum conscientia flagella-tur. Commissô *Cainus* fratricidiô, agente consci-entia in desperata consilia animum, spe divinæ cle-men-

mentiæ abjectâ, ab obvio quoque ultionem parricidij extimescens, hominum fugitabat consortium, & latebras quærebat, totius corporis, omniumque membrorum tremore, in signum patrati sceleris, & vindictam agitatus; ubique pererrans, nuspiam consistens; quocunque facinoris fama pervenerat, eò portavit & pœnam; donec contra tot pavores propugnaculum erectorus, ut se parricida à talione defenderet, & prædator latrocinia tutò reponeret, primus omnium molitus est Urbem, quam *Henochiam* vocavit, ab *Henacho* filiorum maximo; in quam, quidquid ubique scelestum, contaminatumque erat vel suis metu, vel parentum insuper moribus, confluit. Fortè *Cainus*, jam admodum senex, seculum enim agebat vitæ suæ septimum, animi gratiâ in sylvam *Henochiæ* imminentem egressus, inter arbusta densa confederat, exæstuantis cœli calores fracturus. In illud ipsum nemus *Lamechus*, ejus abnepos, succinctus canibus, ac familiæ suæ satellitio, venatum se contulerat. Cùm ecce præter spem, è numero scrutantium latebras, adolescentulus quidam, ad herum gradu suspenso recurrit, & deprehensam sibi feram esse significat, pertractus in eam opinionem, ramorum frondiūmque fallaci concusione. *Lamechus* temerè puero fidem habet, quam confirmârat virgultorum agitatio, sagittam, toto nervo, viribusque contortam ejaculatur. In qua subsecutô, tanquam oris decrepiti, semineci clamore, questuque, fit omnium concursatio; primusque vulneris auctor *Lamechus* advolat. Dimotis virgulorum septis, pro fera, tritavum, à se Cainum jactulô transfixum aspicit, qui tremulo corpore su-

spicionem latentis prædæ injecerat. In rabiem igitur actus infelix jaculator, iracundiam, quam debuerat in præcipitem suam temeritatem aliqua parte detorquere, totam in imprudentiam effuderat adolescentuli. Néve mitior in nepotis (Tubalcaini enim filius erat) quam in tritavi sui cædem esset, arreptō, quem sors & nemus obtulerat, fuste (sive quis malit, arcu) puerum nequicquam quiritantem, & cœlum attestantem, verberibus atrociter mulctat, vibicibus lividis, à densa contusione, tuberibusque lethiferis oppletum, pro mortuo relinquit, & abit. Neque multō post exanimatus est & hic, funusque Cainæo funeri sociatum, Hennochianorum luctum duplicavit: non absque grandi Lamechi, velut bis homicidæ, penes vulgus invidiā. Hunc igitur vitæ suæ sortitus est exitum, bipedum teterrimus Cainus; cuius viri spiritus impurus, corpore suo violenter expulsus, post Luciferi, sociorumque damnatam audaciam, primus omnium (quod nobis compertum sit) inferos initiatit ignes, arsurus flammarum inextinctō rogō, per omnem æternitatis decursum. Sub hæc tempora Lamechi liberi inclauerunt, nam *Iabel* construxit tentoria, & vitam pastoritiam adamavit. *Iubal* Musicae operam dedit, & instrumenta sive *flatu*, sive *ta-*  
*ta* resonantia invenit. *Tubalcain* in acuendo, poliendo, maliando ferro artem ostendit. *Noëma* soror lanificium commenta est, & suo prævivit sexui, qua in re proferre ingenium deceret fœminam. Horum avus erat Mathusaël, omnium mortalium longævissimus; vixit enim annos nongentos sexaginta novem.

Centum quadraginta annos circa hoc tempus im-  
pleverat Abraham , provixitque ad annum usque  
centesimum septuagesimum quintum , postquam  
hæredem constituerat Isaacum ; filiis autem *Agar*  
& *Ceturæ* , quas secundarias uxores habebat , suas  
quoque possessiones attribuit , sed longius ab Isaaci  
ditione remotas , tum ne invidiâ ampliorum facul-  
tatum , quas Isaaco reliquerat , rixas & jurgia con-  
citaret inter fratres ; tam quia Palæstina , hoc est ,  
terra Abrahæ promissa divinitus , ad solos Isaaci po-  
steros pertinebat ; tum , quoniam illi à DEI veri cul-  
tu discessurj erant , malorum consortio ne afflaren-  
tur boni . Sepultus est in spelunca Mambræa , du-  
plicem in cryptam distinctâ , non procul urbe He-  
brone , in qua jam antè Saram uxorem condiderat .  
Vir per omnia magnus : electus à DEO , qui Pater  
esset Credentium , & populi sancti Patriarcha : cun-  
ctarum decus & ornamentum virtutum : quo cum  
Deus pactum iniit Messiamque promisit ex ejus se-  
mine nasciturum ,

## NAR. VI. CATACLYSMUS. SEU DILUVIUM

Orbis terrarum. Gen. 6. 7. 8. 9. A. M. 1656.

Ante Christum. 2397.

**M**alus , ut dicitur , corvus , malum ovum .  
Ex sceleratissimo Caino impiissima soboles ,  
Gigantes nati sunt , qui staturam superbiâ ,  
deformitatem impuritate , ferociâ vires adæquan-  
tes ,